

Daniel Greßnerus,³³⁸ Pastor vnd Superintendens zů Dreßden,
in seiner Postilla, Pag. 303.

„Postquam suis Christus mandasset de praedicando euangelio et baptizandis his, qui in ipsum credituri erant, dicit Marcus ipsum assumptum fuisse in
5 coelum et sedere ad dextram Patris, quod quo pacto fieri contigerit, Lucas Act. cap. 1 diligenter describit. Ascendit autem vt victor omnium suorum hostium, vt quos secum captiuos abduxerit, ne his amplius, qui in eum credunt, nocere queant. Porro hostes Christi et eorum, qui in eum credunt, sunt peccatum, mors, diabolus et aeterna damnatio. Hos hostes omnes vicit et triumphauit de illis palam et trophaeum de [211:] illis constituit, sicut Paulus
10 Coloss. 2 dicit: ‚Condonat nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam illos, triumphans in semetipso.‘ Psal 68: ‚Ascendit in altum, coepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.‘ Ephes. 4: ‚Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.‘ Oportuit sic Christum de hostibus suis et nostris triumphare, id est se victorem ostendere peccati, mortis, diaboli et inferni, vt coelitus nobis aduersus illos nostros hostes opitulari posset.

20 Quid autem est sedere ad dextram Patris? Est aequalem cum Deo Patre habere potentiam, sicut dicit: ‚Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.‘ Matth. 28 et iterum Ioan. 16: ‚Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt.‘ Item Ioan. 5: ‚Amen, amen, dico vobis: non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.‘ Porro per dextram Dei intelligi debere potentiam diuinam, multi sacrae scripturae loci testantur: Psal. 117: ‚Dextra domini fecit virtutem.‘ Item Psal. 97: ‚Liberavit eum dextra eius et brachium sanctum eius.‘ Christus igitur, sedens ad dextram Dei Patris sui, sedet in maiestate et omnipotentia cum Patre, sicut est Heb. 1: ‚Sedet ad dextram maiestatis in
30 coelis.‘ Matth. 26: ‚A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei.‘

Porro cum dextera Dei significet omnipotentiam Dei, non est imaginandum dexteram Dei habere locum corporeum, qui ad latus Dei vel infra Deum [212:] situm habeat, ad quem Christus Dei Filius collocatus sit. ‚Vox dextera
35 non significat locum inferiorem, sed statum aequalitatis, eo quod dextera Dei non accipiat hic corporaliter, vt Basilius ait libro de Spiritu sancto ad Amphilochem, cap. 6. Basilius contra Eunomium lib. 1 circa finem: ‚Si Dei sedes (vt nos quidem credimus) dignitatis nomen est, a dexteris determinata

^o Gresserus: B.

³³⁸ Daniel Gresser, der Schwiegervater Nikolaus Selneckers, wirkte 1574 in der Torgauer Kommission mit, durch die die Lehrprüfung der Wittenberger Professoren vorgenommen wurde.